



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies primus et secundus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1866**

Caput I. Sancti Prudentii natales, gesta aliquod, martyrium et ecclesia  
prope Narbonem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73889](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73889)

AUCTORE  
THEOBAUDO.

MIRACULORUM

LIBERI

CAPUT I.

*Sancti Prudentii natales,  
gesta aliquot, martyrium  
et ecclesia prope Narbo-  
nem.*

A repeterem, involucris obtrusa enuclearem, et, si quid minus facete prolatum fuerat, urbanae comitatis lepori restituerem. Tandem assensum praebui, ne videlicet beatissimi Martyris opera insignia, temporum labentibus curricula obsoleta, oblivione invida funditus interirent. Quapropter ad gloriam Regnatoris Olympi, ipso Sancto amminiculante, conabor virtutum ejus, non omnia (cum sit impossibile) sed de innumeris pauca retexere miracula, quae vel celeberrima opinione, vel a veridicis comperi relatoribus, de quibus ambigere nefarium est. Quod si forte (ut fit) oratio incuria aut ignorantia aliquibus in locis suum nativum decus non videatur obtinere propter invenustioris eloquii insulsam vapiditatem, id diurnae imputetur desuetudini: Sancto ergo Spiritui devota committamus carbasa, ut illasus secundo successu epibata e jocundissimum canendo celeuma / ad optatum feliciter perveniat portum, invocata in auxilium Deitate.

ANNOTATA.

B a *Nomen suum gemina acrostichide Theobaudus ipse expressit ad calcem lib. iv. Miraculorum S. Prudentii: monachum vero Besuensem fuisse, colligitur e num. 19, ubi S. Prudentii miracula, a nescio quo (ut loquitur) nostratum, seu monacho Besuensi prius descripta fuisse ait, quam ipse eodem animo appulit. Lib. iv. Miraculorum S. Prudentii num. 73 Ansirici, Vesontionensis archiepiscopi, et celebratæ ab illo anno 4424 synodi meminit; unde, non ante hunc annum elucubrationem suam ad finem perduxisse, evincitur; quam olim, cum junior esset, ut ait principio Prologi, inchoarat. Besuæ porro notitiam habes a num. A Commentarii prævii.*

b *In his quidem, quæ de S. Prudentii miraculis narrat, fidem Theobaudus meretur: at præter ea, quæ ad S. Prudentii miracula, Besuæ facta, spectant, varia de S. Prudentii genere, de virtutibus, quibus in terris fulsit, de gestis ac martyrio narrat; a quibus cum sæculis aliquot remotus vixerit, nec pro illis auctores monumentave satis antiqua laudet; in his aliam non meretur passim fidem, quam quæ vulgari hominum traditioni tribui potest et debet.*

C c. *Psalm. 110, v. 4.*

d *Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo: ut det illis hæreditatem gentium. Ibidem v. 6 et 7.*

e *A Græco ἐπιβρατης, qui navi se committit.*

f *Κελευσμα seu κελευσμος exhortatio nautica est: sumitur hic pro cantu nautico, a nautis in eventibus prosperis, et felici navigationis termino adhiberi solito.*



Postquam celestis granum Frumenti, solo creditum, triduo cum multiplici animarum fruge a tartareis emergens umbris, sydereis se reddidit horreis a, misso Sancti Spiritus imbre, sparsoque divini verbi semine per orbem, assiduis incrementis fidelis cepit seges succrescere. Ardebat autem beata colonorum manus sacris incumbere sationibus, ut ante summi Patrisfamilias conspectus laborum suorum inferret fructus. Sed quid humani generis antiquo hoste maltiosius? Mox etenim, ut divinum animadvertit egregie pullulare agrum, cuncta corrumpere, aut potius radicitus extirpare gemina, cunctisque cultoribus contendit supremi occasus inferre exitia. More videlicet faciens suos, ut, qui dudum in Domini sanguinem atrocissimas invidorum armaverat dextras, in servos etiam totius nequitia machinantis impia effunderet robor. Verum quia id per se solum, utpote longe alterius naturæ, quam nos, et nostris ab aspectibus semota, pericere non poterat, per sequaces pravitatis suæ principes adimplere satagebat: nam sicut in exortu synagogæ b sceptriger Nilicola c in Hebraicam desaveibat infantiam per proceres, impiis obsequentes imperiis, ita et in exordio nascentis Ecclesiæ diabolus, rector tenebrarum, per suos apparitores Christianam moliebatur extinguere infantilem innocentiam: sed, licet lethifer adversarius contra Christianismum mille admovent deceptionum machinas, tamen diffundebantur diatim Catholica semina, et inter vulniferos sævientium persecutorum macrones ager Ecclesiæ fecundabatur.

Denique, prostratis illis primis satoribus, quibus divini ab initio cura commissa seminis fuerat, ad devastandam Dominicam messem tota Romana respublica avidè conspirat, et, veluti egregiis peremptis ducibus, atrocium hostium rabies non nisi multo mitiganda cruore in tota commilitonum offeratur \* agmina, incursantur beatæ plane cohortes, æthereo Regi digne militantes, et pro fide, quam sub religionis vexillis professi sunt, millenis proterendæ supplicis exponuntur: ubique locorum adversum te, Christe, feralia pendent edicta, et Christianum nomen, quod juxta Paulum super omne nomen habetur d, non modo verbis, sed etiam verberibus insectantur, et gladiis, triumphant sacri præliatores certaminis interfecti; meliusque moriendo, quam vivendo, hostiles devincunt cuneos. O nova sane et transactis sæculis inaudita prælia! Victi, ut putabatur, coronantur athletæ Christi, et interfecti regnant. Sciendum tamen, quod tripliciter antiquus hostis adversus

Crescente  
Christiano-  
rum numero,  
a

E

b  
c

F

invidia demonis crevit et martyrum numerus;

\* offeratur

d

eos

AUCTORE  
THEOBAUDO.

eos nefandam produxit aciem, spiritaliter scilicet et corporaliter : et spiritaliter quidem, quia pravis suggestionibus conabatur animos eorum a fidei tramite declinare : corporaliter vero gemino modo, quia aut prosperis aut adversis divinae legis rebelles contra eos debacchabantur, ut, quos videlicet malesuada secunda non flexerant, immanium frangerent ad idololatriam acerba genera tormentorum. Sed quamvis ubique sine intermissione inenarrabilibus suppliciorum argumentis Christiana trucidaretur proles, oboriebantur tamen robustissimi proceres, qui titubantis statum Ecclesiae documentis erigerent, aequissimis actibus consolidarent, ad ultimum etiam purpurea passione decorarent. Quorum celebria pro sacra religione confligia, quaquaversum per orbem Christiani vocabuli titulus porrigitur, solemniter cantantur laetitia.

quos inter  
S. Prudentius  
Narbonne,  
e

B

5 Inter quos insignis martyr Prudentius, juxta divinam vocem lux existens mundi e, egregiis victoriarum emicuit laudibus, qui ab ipsis crepundis Christianis redimitus sacramentis, adhuc tenerrimus litterarum imbuendus traditus est gymnasiis. In quibus quam docilis, quam sagax, quamque solers et ellicax floruerit, res ipsa luce clarius postmodum assignavit : instruebatur profecto arcana Divinitatis dispositione, ut futurae Christi lucernae lumen sacrae doctrinae afflatim exuberaret, ad illuminanda incredulorum et corroboranda fidelium pectora proficiebat quotidie sub tyrocinio Christi devotissimus Adolescens aetate, sapientia et egregiis moribus ut jam Sacri Pneumatis domicilium esse ejus non ambigeres in pectore. Fuit autem, ut ipsius perhibent Gesta f, nobilissima oriundus prosapia, Narbonensium partium g indigena. Denique archidiaconus \* urbis ejusdem decoratus apice, longe lateque salutifera doctrina, vita atque magnificis coruscabat miraculis. Tanto siquidem splendore divinae, quod primum est, at secularis radiabat philosophiae, ut, quamvis ea tempestate multi doctissimi et facundissimi viri gloriosa praedicarentur laude, nemini prorsus in Gallicis vel Hispanis oris haberetur secundus.

f  
g  
\* archidiaconus  
natus

loci illius archidiaconus, passus quoque dicitur:

C

6 Plurimus namque lepor et facetiarum nitor, jocunda et gratissima urbanitas ejus inerat eloquio, sapientiae sale condita, per quod ipsius pectoris ager fecundus multarum fruges animarum placita ubertate Christo acquisivit. Denique qualis quantusque in divinis documentis atque virtutum fuerit exercitiis, ipse rationis ordo enucleare nunc exigeret, nisi textus Gestorum et passionis ejusdem h etiam curioso satisfacere videretur. Ideoque de his scribere diutius supersedeo. Itaque postquam Vir excellentissimus doctorque praecipuus sacrum ovile Christi plurimum augmentavit, cum hoste ferocissimo acerimo congressus duello, tandem pro beata fidei confessione, variis atque acerrimis furore gentilium attractatus suppliciis, ut in caelestis Hierusalem attractatus suppliciis, ut sacratissima passionis palmam promeruit i, martello contusus demurario k, quarto die noni mensis, hoc est, pridie Nonas Septembris l. Qui videlicet martellus (ut perhibent, qui viderunt, dum sacerrimae ipsius transferrentur reliquiae a pie recordationis abbate Stephano m) cum beatis adhuc contineretur pignoribus \*, in osse quoque sacri capitis hactenus fracturae apparent, scilicet vestigia passionis n : taliter ergo

i  
k  
l  
m  
\* videtur desiderari aliq. ut.  
n

robustissimus Athleta de hoste prostrato referens trophaea, aeterna donatus laurea, coeleste capitolium ingredi promeruit, applaudentibus hymnidicis Angelorum choris.

D

7 Perempto itaque Christi milite Prudentio, cum vesana persecutorum rabies, necdum satiata, immane adhuc fureret, artus sacratissimos, mausoleo atrociter erutos, in quo a fidelibus furtim nocturno conditi fuerant silentio, feris avibusque diripiendos longiuscule ab urbe sub divo exposuerunt. Tanta enim furoris insania diabolus gentilium exagitabat pectora, ut Christi militum punitorum membra, a supra arcentes sepultura, bestis et alitibus projicerent devoranda. Superna vero provisione servatum beatum funus (neque enim perire poterat, quod Omnipotentis dextera protegebat) a Christicolis nocte pia rapina iterum abripitur, et pro tempore aggere in ipso, formidine paganorum, vili potius obruitur, quam sepelitur tumulo : ubi etiam multis annorum latuisse dignoscitur curculis, tametsi Christiana devotio clanculo venerabiliter locum orationis gratia frequentaret. Tandem superna Miseratione de caelo in terram aspiciente, ut audiret gemitus compeditorum, et solveret filios interemptorum o, sopitis persecutionum tempestatibus, Sponso Christi respirare ad tempus radio tranquillitatis coeperat.

ubi clam primo venerationem obtinuit fidelium.

E

8 Quapropter a religiosis in loco fabricata est basilica p, non multae capacitatis quidem, nec tanti Martyris dignitati responsura, sed tamen tali tempore fidelium devotioni opportuna. Denique sarcophagum ipsum, in quo positum primitus funus beatum fuerat, apud Narbonam adhuc tantae reverentiae, tantaeque habetur formidini, ut nemo prorsus tangere audeat; sciens pro certo, se non impune laturum. Quod jam saepius quamplurimis probatum est experimentis q : fuit ergo in eadem ecclesia multis temporum evolutis discursibus, nec ab ullo gentilium vel Christicolarum (ut res ipsa declarat) prorsus tolli potuit; licet id quamplures temptaverint, tam gentiles, quam sacrae fidei homines, quod utique clarissimi vice posuerim miraculi. Nam saepenumero idem sacer locus, totaque circumjacens regio, venientibus hinc et inde barbaris, in heremi redacta est vastitatem r : nec tamen sacratissima pignora ab ullo contingi potuerunt. Tempore siquidem Dagoberti, filii Childeberti, regis Francorum s, jam abundante iniquitate et refrigescente charitate multorum, gens Saracenorum ex Africa transiens per angustias freti Atlantici, quod, SEPTU vocitatum, Africam secernit ab Europa, totam pervadit Iberiam u.

dein publice excitata illi ecclesia,

P

q

r

F

s

t

u

9 Post annos vero decem, anno scilicet a Verbo Humanato septingentesimo tricesimo tertio, cum uxoribus et filiis rebusque familiaribus transceso Pyrenaeo, Citeriorem Hispaniam et Aquitaniam, ut habitaturi perpetuo, ingredimur : urbes, oppida, castella, villas quaquaversum depopulantur, ecclesias ubique et sacra loca incendunt vel diruunt, inter quae etiam beatissimi Prudentii ecclesiam edax consumpsit incendium x, nec tamen sacrum contingitur lipsanum. Tunc Carolus, agnomine « Tudites » vel « Martellus y » filius Pipini Brevis (imo Heristallensis), et Vetuli, metuens, ne forte etiam Franciam pervaderent, adversus eos profecturus, utpote major-domus, maximas molitus est pugnatorum conflare copias : nam tunc regalia per

que saeculo viii, illaeso tamen Sancti sepulcro,

x

y

per

A per proceres administrabantur. Cum ergo, regali exhausto erario, opes minime suppetent, quibus stipendia et donativa, ut moris est, regia munificentia largiretur, militibus, gravissima compulsus necessitate, decimas; et (quod dictu nefas est) ecclesias, ablatas sacris ministris, dedit eisdem militibus exercitus sui. Nec mora, facto impetu cum Eudone, duce Aquitaniae, terga dant hostes. Cæsa sunt ibi trecenta et septuaginta quinque millia Saracenorum, mille quingentis tantummodo Francis accumbentibus.

40 Exinde sacer ille locus a militibus hæreditario jure per successoria tempora possessus, ut ecclesiae plerique neglectui habebantur. Nec multo post Abdiram, rex Cordubensis, cum duodecim regibus Saracenorum, universis conflatis copiis, totam invadit Aquitaniam, ipsamque obsidens Narbonam, cuncta finitima rapinis et incendio pessumdedit. Sancto penitus (ut solebat) intacto. Quos iterum Carolus, conserto prælio, ita contrivit, ut vix aliquis evaserit. Quem vero exitum præfatus sortitus sit Carolus pro decimis et ecclesiis, quas militibus dederat, licet digressionem præter rem facere videar, quia illud profuturum reor, paucis retexam. Defunctus enim acerbissima valdeque terribili morte, sepultus est in basilica beati Dionysii martyris. Quo sepulto, mox tantus fœtor, tanque pestifer aër ab ejus cœpit egredi mausoleo, ut etiam longe semotas tabo inficiens auras, multos leto dederit, et quamplures morbo gravissimo affecerit. Voces etiam lugubres, gemitus et ululatus miserabiles exinde creberrime audiebantur. Quo comperto, Pipinus filius ejus jubet reserare sarcophagum, eoque patefacto, draco miræ magnitudinis, ex cujus ore letifer ille procedebat halitus: de corpore vero Karoli nihil penitus repertum est. hoc autem dictum sit ad sacrorum pervasores locorum, qui adhuc violenter sancta detinent loca, suisque hæredipetis hæreditates concedunt perditionis.

## ANNOTATA.

a Christum intelligit, qui tertia a morte die ad vitam rediens, triumphato diabolo, vitæ æternæ, ut canit sacro Resurrectionis die Ecclesia, nobis aditum, devicta morte, reseravit, et post dies quadraginta celos vi sua ascendens, die Pentecostes in Apostolos, fidem Christi disseminaturus, misit Spiritum Sanctum.

b Συνοχη, vox Græca, cæcum quemvis, vel locum, in quo cætus colligitur, significat: priore modo accepta frequenter pro ecclesia Judæorum sumitur; Theobaudus vero hanc vocem ad significandum populum Hebræicum sub Pharaonis, de quo mox, tyrannide constitutum, transtulit.

c Nimirum Pharaon, Ægypti ad Nilum rex ille, de quo Exodi cap. 4, v. 8: Surrexit interea rex novus super Ægyptum, qui ignorabat Joseph, quique Hebræos, numero viribusque augeri cæptos, opprimere summo molimine studuit.

d Propter quod et Deus exaltavit illum (Christum) et donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Ad Philipp. cap. 2, v. 9.

e Vos estis lux mundi. Matth. cap. 5, v. 14.

f Fuit ergo Theobaudus antiquior aliquis, qui S. Prudentii gesta scriptis est persecutus; sed scriptor ille, ac illius de S. Prudentio elucubratio hodie ignota sunt: quod si laudatus hoc loco a Theobaudus scriptor idem sit (uti fortassis est) qui librum secundum Miraculorum S. Prudentii scri-

psit, nec ille satis antiquus est, ut dictis suis de rebus S. Prudentii, quas hic vivus gessit, fidem faciat certam. Vide Commentarium prævium num. 30 et Annotanda in cap. 2, lib. 1, litt. ff.

g Narbo (vulgo Narbonne) Galliae civitas in Occitania Inferiori.

h Vide Annotata ad lit. f.

i Quo tempore S. Prudentius martyrium subierit, Theobaudus sibi; ex modo tamen, quo num. 4 de Romanorum in Christianos persecutione, et num. 5 de S. Prudentio loquitur, censuisse videtur, S. Prudentium ethnicorum imperatorum, corumque præfectorum in Christianos furori primis Ecclesiae sæculis fuisse litatum: at Romanorumne, an barbarorum manibus, quoque tempore perierit, plane incertum est, licet id Wandalis recentiores plerique tribuant. Videsis Commentarium prævium § 1, num. 10 et 3 seqq.

k Demurare idem valet, quod ædificii murum perfodere vel evertere: martellus itaque demurarius idem significare hic videtur, quod malleus, perfodiendis evertendisve ædificiorum parietibus adhiberi tunc solitus.

l Recte quidem hic dies 4 Septembris exprimitur, si Kalendas Januarii, aut 25 Decembris anni principium facias; at Theobaudus annis Incarnationis passim utitur, quos, teste Cangio ad vocabulum annus, Franci sub tertia regum suorum stirpe a 25 Martii inchoare sæpe solebant; quem morem Theobaudus forte secutus est. Theobaudus enim, præterquam quod annos Christi passim incarnationis vocet, sub initium libri tertii Miraculorum S. Prudentii, de Lingonensi synodo agens, hanc celebratam ait anno 1116, nimirum, ut loquitur, a Conceptu celeberrimo Virginis intemeratae. Atque hinc, ut opinor, Benedictini recentioris Historiæ Occitanicæ scriptores lib. III, num. 48, hunc ipsum Theobaudi locum ex Labbeo laudantes, S. Prudentium migrasse e vivis, aiunt, secundum illius Acta die 4 Novembris; verba vero illa: Id est, pridie Nonas Septembris, vel pro corruptis, vel certe pro recentioris alicujus additamento habuerunt: quibus ego quidem procul dubio, libensque subscriberem, si annum tunc Franci a 25 Martii perpetuo inchoassent, et unum eundemque annum numerandi modum Theobaudus ubique retineret; quod non facit: nam principio lib. IV Miraculorum S. Prudentii annum Vesontionensis synodi, sub Ansirico celebratae, a Nativitate Christi deducere videtur, sic inquit: Igitur anno millesimo centesimo vicesimo quarto a Puerperio Virginis illibatae etc., ut adeo, cum nullum hoc loco Theobaudus annum exprimat, certum mihi non sit, sitne S. Prudentius die 4 Septembris, an Novembris, ex Theobaudi mente defunctus. Vide Commentarium prævium num. 5.

m Præerat Besuensis Stephanus abbas anno 1116, quo S. Prudentii reliquiæ in villam Lucum, apud quem Jocerannus, episcopus Lingonensis, synodum indicerat, fuisse translatae, teste Theobaudus lib. III, num. 44 et 47. Ceterum de hac ipsa S. Prudentii reliquiarum translatione Theobaudus hic forsitan sermo est.

n Ex his capitulis S. Prudentii fracturis malleoque, anno 1116 visis, non leve ejusdem martyrii argumentum habetur; ex martyrio vero ejusdem ab aliis homonymis distinctio; de quibus vide Comm. prævii num. 6 et binos seqq.

o Psalm. 101, v. 21.

p Quo tempore ea condita fuerit, quis ex tam vagis temporum notis, ac silente præterea antiquitate, definiat?

q Theo-

ACTORE  
THEOBAUDO.

AUCTORE  
THEOBAUDO.

q Theobaudus, res sua memoria gestas narranti, ac in Aquitania dudum versato, quod ad venerationem S. Prudentii sepulturae spectat, contradicere nec ausim, nec velim: vellem tamen, tum ut locum illum paulo enucleatius explicuisset, tum ut experimenta, quibus liquere ait, non impune sacro ejus loculo violentas manus admoventi potuisse, singillatim adduxisset in medium, eaque debitis testimoniis roborasset. Ceterum, num apud Narbonenses hodieque S. Prudentii cultus vigeat, ac in eadem sepulturae ejus locus, quae olim, veneratione haberi pergat, nec ne, documentorum scriptorumque inopia in medio relinquo.

r Narbonensium varias vices vide in Comment. praevio num. 45 et seq.

s Obiit hic Dagobertus anno 715 ex Chronico Moissiacensi et Annalibus Franciscis Nazarianis. Vide Comment. praevium num. 47.

t Forte Septem fratres, seu totidem Mauritaniae Tingitanae ad fretum Gaditanum montes, quos arcem Septensem Procopius vocat, teste Ortelio.

u Haec ex Paulo Diacono, qui lib. v de Gestis Longobardorum cap. 46 sic habet: Eo tempore gens Saracenorum in loco, qui SEPTEM dicitur, ex Africa transfretantes, universam Hispaniam invaserunt. Deinde post decem annos cum uxoribus et parvulis venientes, Aquitaniam, Galliae provinciam, quasi habitaturi ingressi sunt. Saracenorum in Aquitaniam adventum. Theobaudus num. seq. iisdem fere verbis refert, atque, illum anno 733 contigisse; unde anno circiter 723 Saracenos Hispaniam occupasse, necesse esse: verum Hispaniae regnum, devicto rege Roderico, jam Saracenis cesserat anno 715. Vide Comment. praevii num. 47.

x Non infrequens Saracenis fuisse, ut ecclesias igne ferroque diruerent, docent exempla num. 49 Comment. praevii allata; non tamen certum, S. Prudentii prope Narbonem ecclesiam ea tempestate fuisse combustam; ut dictum ibidem est.

y Carolus Tudites seu Martellus (sic dictus, ut aiunt, quod hostes instar mallei contere solitus erat) anno 732 aut seq. in suburbio Pietaensi plurima Saracenorum milia insigni praelio fudit, ut auctores Francisci tradunt. Vide num. 48 Comment. praevii.

z Ingens Saracenorum eo praelio occisorum multitudo, Francorum autem paucitas faciunt, ut utramque ultra verum hic exaggeratam fuisse, existimem.

aa Et hujus quoque praelii, a Carolo Martello cum Saracenis inchoati, ad annum passim 737 iidem scriptores meminere. Sed, Abderaman primo praelio caesum, aiunt, non hoc secundo, contra ac Theobaudus facit; neque tum Abderaman, aliusve Saracenorum rex vel dux Narbonem, sed Carolus ipse obsidebat, contra ac iterum Theobaudus scribit. Vide Comment. praev. num. 48.

bb Hujus fabulae ortum, progressum, et errores late pertractatos habes tom. III Februarii in Commentario praevio ad Vitam S. Eucherii §§ 4 et 5. Consule etiam, si lubet, Hadriani Valesii Rerum Francicarum lib. xxv. Nihil ea revelatione quodam de Carolo Martelli ob distractas divisasque militibus suis ecclesiarum res damnatione, S. Eucherio, Aurelianensi episcopo, facta tempore Pipini regis, filiique Caroli Martelli: sed Pipinus sub annum 752 Francorum rex coronatus fuit; mortuo videlicet S. Eucherio jam inde ab anno 743. Plura non addo, ne actum agam: si quis tamen plura desideret, scriptores consulat jam laudatos.

## CAPUT II.

### S. Prudentii reliquiae Be- sua allatae.

Anno vero a Numine Incarnato octingentesimo quadragesimo primo, jam deficiente Caroli Magni prole sceptrigera a, exorta simultate gravissima in Francia inter fratres, filios videlicet Ludovici, filii Caroli Magni, de finibus regni, genitore jam defuncto, barbara gentes, Normannorum scilicet, Danorum et Brittonum cum copiosa multitudine Gallias depopulandas atrociter invadunt b. Fiunt itaque innumerae strages Christianorum, ruina urbium, oppidorum, villarum et sanctarum exustiones ecclesiarum; denique rapiuntur inclytae civitates Andegavis, Aurelianis, Lemovigas, Burdegala, Tolosa, Narbona c; totaque miserabilis exitio traditur Aquitania, beatissimo Prudentio sua sibi defendente. Sed haec hactenus: nunc vero, aliis omissis, ad gaudia nostra accedamus. Qualiter scilicet ipsum beatissimi Martyris corpus ad nos pervenerit. Aliquantis autem temporum elapsis voluminibus, regnante gloriosissimo regum Carolo d, Ecclesiae Christi longe lateque festiva per orbem pace floruerunt e. Invigilabant namque sacri pastores supra sibi commissa agalmata f; rationales quoque pecudes, justis pro posse insistebat actionibus: eodem itaque tempore, ut in Chronico g continetur, venerabilis Geilo Lingonensis urbis pontificalem gerebat infulam h, vir praecleari stemmatis linea pollens i, sed illustrior animi virtutibus, quibus admodum divinis praeminuit in rebus. Qui cum inter caeteros bene moratae mentis habitu orationi incumberet assiduus, etiam longinqua celebrium Sanctorum suffragia, paupere spiritu ditissimum praesulum, expectabat: legerat quippe, neminem per se posse salvari, ideoque dilectorum Domini supplex requirebat adjumenta. Unde factum est, ut, Jesu Domino disponente, tam felix via auspiciis pro suorum abolitione peccaminum famosissimi per orbem Jacobi Apostoli adiret limina, in extrema pene parte telluris sita, juxta Oceani latus k.

42 Dum igitur, satisfacto votis, alacer repedaret religiosus pontifex, Aquitanicas tandem attigit oras, post multa terrarum transmissa spatia, nec multo post, Dei omnipotentis instinctu, cuncta clementer justaque disponentis, quadam die advesperascente, pervenit ad villulam in strata publica l sitam (ut praemissum est) peneque desolatam, in qua gloriosissimus corpore quiescebat Prudentius, qui, lassitudine cogente et temporis instante densitate, hospitium metatus est cum suis apud ejusdem Martyris ecclesiae matricularium m. Et poterat utique vir egregius et multarum copias ditissimus rerum largioris nobiliorisque aedis potiri hospitio, nisi et talis magis placuisset mansio, quae solito surgentis noctis conticinio ad divinos decantandos hymnos domo Domini esset propinquior. Susceptus itaque officiose cum suis comitibus, prout possibilitas admisit, largis reficitur obsoniis. Ast ubi pulsa fames et surrexere, relictae rite thoris, peruncuetatur beatis Praesul hospitem suum, quisnam diceretur, quoque honore finalis professio-

D  
Geilo, Lingonensis episcopus, in Hispania in Gallias rediens.

a

b

c

E

d

e

f

g

h

i

F

k

ac prope Narbonem disertens, S. Prudentii reliquias fere absque cultu

l

m